260 Copula scienter habita *si pro causa proponatur, quomodo exprimenda?*

261 Copula habita *cum spe faciliùs obtinendi dispensationem quomodo proponenda?*

262 *Quando pro Dispensatione in secundo gradu supplicant ignobiles, addunt, imminere periculum vitæ.*

263 Copula ignoranter habita *quomodo exprimatur?*

264 *Matrimonium scienter contractum sine spe faciliùs obtinendi Dispensationem pro causa quomodo proponatur?*

265 *Et quomodo si cum spe faciliùs obtinendi fuit contractum?*

266 *Quomodo, si ignoranter & bona fide fuit contractum?*

267 *Expressâ causâ exponitur obstans impedimentum.*

268 *Formula exprimendi* impedimentum Consanguinitatis in gradu æquali.

269 *Et in gradu inæquali.*

270 *Quando concurrit cum remoto primus gradus; debet etiam provenientia explicari, & quomodo?*

271 *Quando duplici vinculo sunt conjuncti, exprimi debet.*

272 *Formula exprimendi* Affinitatis impedimentum.

273 *Formula exprimendi* impedimentum publicæ honestatis.

274 *Praxis ritè proponendi* impedimentum Cognationis spiritualis.

275 *Formula ritè proponendi* impedimentum Criminis.

276 *Formula ritè proponendi* impedimentum voti, & ordinis sacri.

277 *Formula expressis exprimendis petendi Dispensationem, & claudendi supplicationem ordinariè.*

278 *Formula petendi, & claudendi supplicationem, si consanguinitas, vel Affinitas est in gradibus inæqualibus.*

279 *Vel si petitur Dispensatio ob copulam, vel contractum jam Matrimonium: & nu. seq.*

281 *Supplicatio ritè concepta per quos, & quomodo Romam dirigi possit? & nu. seq.*

283 *Observantia practica, & num. seq.*

285 *Si copula incestuosa præcessit, expedit maturè petere Dispensationem, & quare?*

286 *Ubi Romæ offerri debeat supplicatio?*

287 *Compendiosa recapitulatio hactenus dictorum.*

288 *Alia praxis procurandi Dispensationem cuivis quadrans: Et duobus seqq.*

231 NOtandum priùs, Dispensationes super impedimentis Matrimonii alias sollicitari, & expediri pro foro externo, seu potiùs pro utroque foro tam externo nempe, quàm interno: alias verò pro solo foro interno, quandò videlicet impedimentum est occultum, Affinitas v. g. ex copula fornicaria proveniens, vel impedimentum criminis. Pro foro externo aliæ petuntur, & conceduntur in forma pauperum, aliæ in forma ordinaria.

232 Porrò quæ pro foro externo petuntur, & concedantur, non in eodem, sed diverso loco, & per diversos Officiales Romæ expediuntur: Aliæ enim expediuntur in *Dataria* (quæ etiam *Officium minoris gratiæ* appellatur) per Officiales illius: & quidem omnes, & solæ illæ, quæ in remotioribus gradibus videlicet, in *quarto*, vel *tertio*, & *quarto* petuntur, sive dein ab uno, sive à diversis stipitibus proveniant.

Aliæ expediuntur in *Cancellaria*, illæ scilicet omnes, & solæ, quæ in *tertio*, vel *secundo & tertio*, sive ex uno, sive pluribus stipitibus communibus proveniunt.

Aliæ expediuntur in *Præfectura Brevium*, & sub annulo Piscatoris, illæ nempe omnes, & solæ, quæ petuntur in *primo Affinitatis*, vel *primo & secundo*, vel *in primo & tertio*, vel *primo & quarto* Consanguinitatis, vel Affinitatis gradu. Conrad. *in Praxi Dispensat. lib. 7. cap. 4. n. 6.* Justis *de Dispensat. lib. 1. cap. 3. à n. 13.*

233 Quæ pro solo foro interno super impedimento occulto petuntur, expediuntur à *Sacra Pœnitentiaria*, quæ super quovis impedimento dirimente, Jure Ecclesiastico, legitimâ existente causa dispensat, tam ante, quàm post contractum Matrimonium, excepto impedimento consanguinitatis, super quo ante contractum Matrimonium nunquam, benè verò post contractum dispensat, si tamen primum & secundum gradum ejusdem excipias, ut post Filliuc. *Tract. 10. p. 2. cap. 10. nu. 351.* de quo magis infrà §. IX.

234 Quando contingit, oratores pluribus laborare impedimentis, quorum unum, aut plura sunt occulta, & alia publica, petitur, & expeditur Dispensatio super occultis in Pœnitentiaria, super publicis verò in Dataria, vel Cancellaria, vel Præfectura Brevium pro diversitate nempe graduum modo suprà *à n. 232.* allegato H. N.

235 Quæritur I. An certa aliqua supplicationis forma, seu modus? & qualis sit necessarius, si super impedimento Matrimonii publico, pro externo foro petitur Dispensatio in forma ordinaria: quænam item in ea exprimi debeant? Et quomodo? Resp. I. Omnino necessarium est, ut supplicatio fiat in scriptis debito modo, aliàs non conceditur Dispensatio. Corrad. *lib. 7. cap. 4. nu. 6.* Et *lib. 2. cap. 1. nu. 23.* Justis *lib. 1. cap. 3. num. 1.* ita jubente stylo Curiæ.

236 Resp. II. Supplicatio debet concipi latino idiomate, & quantùm fieri potest verbis propriis in Curia usitatis, ac sine ambagibus, superfluis ceremoniis, simpliciter, sine quæsito ornatu dictionis, aut verborum. Corrad. *cit. lib. 2. cap. 1. à nu. 24.* Justis *loc. cit. à num. 2.* & alii. Ratio de lingua latina est, Tum quia hæc est dignior cæteris. Tum, quia est propria, naturalis, & materna Romanorum. Mandos. *ad Regul. Cancell. Reg. 80. de Idiomate. q. 10. à num. 4.* Tum, quia hæc lingua censetur communis omnium nationum, & cæteræ accidentales, ob quod Roma, cùm sit communis patria *L. Roma. ff. de Municipib.* ut ab omnibus intelligetur, eam assumpsit.

237 Claritas quoque, proprietas, & simplicitas adeò est necessaria, ut si verbis inusitatis, obscuris, vel ignotis, & peregrinis utantur oratores, supplicatio dilacerari soleat, uti ex praxi bene advertit Corrad. *cit. lib. 2. cap. 1. nu. 30.* Estque conforme Juri communi, *c. Nuper à nobis, in fine de Donat. inter virum & uxorem.*

238 Resp. III. In supplicatione debent exprimi, quæ §. IV. diximus & in compendio repetivimus *n. 203.* videlicet I. Nomen, & Cognomen oratorum. II. Nomen Diœcesis. Non item locus oratorum, nisi propter angustiam petatur Dispensatio, vel ob locum ad littus maris per dicenda infra.

239 Quæritur II. Quomodo in praxi supplicatio formari, & qualiter exprimenda exprimi debeant? Resp. Ut clarè, & pro faciliori captu, simulque pro majori commoditate pateat ad hoc quæsitum, exhibetur imprimis integra & continua Copia alicujus supplicationis. Dein fit diffusio illius intermixtis diversis causis, ob quas petitur Dispensatio, diversisque impedimentis, super quibus petitur, adjuncta ubique praxi quævis ritè proponendi, ipsam

ipsam Dispensationem debitè petendi, sicut & diversis personis, pro quibus petitur.

240 Formula supplicationis pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in tertio, & quarto, ex causa defectûs competentis dotis.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius oratorum Francisci N. laici, & Claræ N. Diœcesis Frisingensis; quòd, cùm dicta oratrix dotem habeat minùs competentem juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus orator cum dicta minùs competente dote Oratricem in uxorem ducere intendat. Sed quia tertio, & quarto à communi stipite provenientibus gradibus invicem conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt, absque Sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ oratores præfati, quatenùs cum eisdem oratoribus, quòd impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante. Matrimonium inter se publicè servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodùm remanere liberè, & licitè valeant, dispensare; distantium vel tertii gradûs non obstare declarare, prolemque suscipiendam exinde legitimam nunciare dignemini de speciali gratia. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque.

Hæc est consueta verbis propriis, ac in Curia usitatis, & absque ullo superfluo concepta supplicatio, ad cujus normam etiam reliquæ mutatis mutandis, præsertim causis, & impedimentorum speciebus, simulque additis necessariis formari debent. Quod ut faciliùs & commodiùs fieri à quovis valeat, membratim denuo adducimus, & dicutimus præfatam supplicationem, addendo varias Dispensationis causas, variaque impedimenta, super quibus Dispensatio fieri solet, & praxin, qua cuncta proponi debent.

241 Quæritur III. Qualiter supplicatio incohari, & Nomina oratorum ac Diœcesis exprimi debeant? Resp. Quæ is supplicatio pro foro externo incipit: *Beatissime Pater*; quia non inscribitur summo Datario v. g. sicut inscribitur summo Pœnitentiario, quando petitur Dispensatio pro foro interno, sed ipsi Papæ, sicut nec Datarius, vel alius officialis, sed ipse Papa dispensat, licèt per manus officialium transeat, uti benè notat Corrad. *lib. 2. cap. 1. à num. 30.*

242 *Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum Illius oratorum Francisci N. laici & Claræ N. &c.*

Sic præmisso Papæ titulo incipit quævis supplicatio pro foro externo, addito dein proprio nomine, & cognomine utriusque, quod inevitabiliter debet exprimi simulque exponi, an sit laicus, vel Clericus v. g. *Laici.*

Diœcesis Frisingensis.

243 Deinde exprimitur nomen Diœcesis oratorum: quòd si sint diversæ Diœcesis, utriusque expressio fieri debet juxta dicta v. g. *Antonii laici, Diœcesis Frisingensis & Rosæ mulieris Diœcesis Eystetensis.* Et si petitur Dispensatio ob angustiam loci, subjungitur angustiam locus oratricis v. g. *ex oppido Tolzensi ortæ*, vel *oratorum.*

244 Quæritur IV. Quomodò in praxi proponantur causæ dispensandi? Resp. Explicatis Nominibus, & Diœcesi oratorum ut suprà, illicò adducitur legitima dispensandi causa, addito desiderio, quòd cupiant invicem copulari: idque exponi incipitur illis Verbis; *quod cum &c.* vel *quod &c.* ut statim magis patebit ex causis specificis. Ut autem appareat, qualiter quævis dispensandi causa juxta stylum Curiæ ritè proponi queat, & debeat, subjungimus praxin ritè exponendi quamlibet dispensandi causam ex dictis *à n. 69.*

245 Praxis proponendi *prærogativam Regiæ, aut verè principalis personæ* de qua *cit. n. 69.*

Quòd, cùm oratores de Regio vel magnorum Principum, de Ecclesia optimè meritorum stemmate existant, & Matrimonialiter invicem copulari cupiant, sed quia, &c. vel *quòd cùm oratores de Regio, aut Magnorum Ducum stemmate existant, & valdè expediat pro bono communi, ut orator Oratrici, & non alteri nubat; cupiunt invicem Matrimonio copulari. Sed quia &c.*

246 Praxis proponendi causam *ob Conservationem Familiæ, ne deficiat*, de qua *n. 70.*

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devoti Oratoris Bonaventuræ N. Clerici Diaconi, vel *Sacerdotis*, vel *Religiosi &c. Diœcesis N. quòd, cùm ipse de Illustri, & vere nobili, vel nobilissima, & antiquissima Familia videlicet N. existat, præfatique Familia sine omni masculo hærede, Oratore solo superstite, decesserit, consequenter nisi ipse nubat, totaliter deficiat, cuivis tamen conservatio pro bono communi faciat, Matrimonium inire intendit. Sed quia &c.*

247 Praxis proponendi causam *ob conservationem bonorum in familia, vel ipsius Familiæ in suo splendore*, de quo *cit. n. 70. ℣. Hu. reducunt.*

Quòd cùm Nobilis Familia N. sine masculo hærede in sua linea de eleus solam Oratricem pro universali hærede reliquerit, & Oratrix Oratori, qui aliàs de eadem Familia, licet diversæ lineæ, exiliit, ut bona conserventur in Familia, matrimonialiter copulari intendit. Sed quia &c.

Vel *cùm Oratores de Illustri Familia videlicet N. existant, valdeque expediat pro conservatione illius in suo splendore, ut Oratrix Oratori, & non alteri nubat, cupiunt invicem matrimonialiter copulari. Sed quia &c.*

248 Praxis proponendi causam *ab Excellentia meritorum*, de qua *n. 71.*

Quod dictus Orator, qui de nobili genere existens in bello Turcico contra fidei hostes per decem annos sub Augustissimo Imperatore N. inservivit, & plura vulnera recepit, cupit cum Oratrice matrimonialiter copulari. Sed quia &c.

Pariter possunt alia merita etiam majorum adduci.

249 Praxis ritè proponendi causam *n. 72.* propositam, quæ est *Extinctio litis.*

Quòd, cùm inter dictos Oratores, vel eorum parentes, aut consanguineos graves lites super rebus magni momenti ortæ sint, & ad præsens vigeant; aliunde tamen, quàm ex causa Matrimonii inter dictos Oratores provenientes, ante illius tractatum exortæ; certàmque sit, quòd si Oratores ipsi invicem matrimonialiter copularentur, lites hujusmodi omnino componerentur. Pro illis igitur componendis cupiunt matrimonialiter invicem copulari. Sed quia &c.

250 Praxis ritè proponendi causam *n.* 73. propositam, quæ est *Gravis inimicitia.*

Proponitur hæc causa eodem modo, ut prior, solo mutato, quòd loco *graves lites*, ponatur *graves inimicitiæ.*

Praxis ritè proponendi causam *nu.* 54. allegatam, quæ est *Confirmatio*, & *Conservatio pacis.*

251 *Quòd cùm inter Oratorem, & Oratricem*, vel *eorum parentes*, vel *Consanguineos, graves inimicitiæ viguerint, aliunde tamen &c.* ut suprà *n.* 249. *& licèt pax inter eos de recenti inita fuerit, nihilominùs pro illius confirmatione cupiant matrimonialiter copulari. Sed quia &c.*

252 Praxis ritè proponendi causam *n.* 75. allegatam quæ est *Evitatio scandalorum.*

Hæc causa, quamvis in variis, tamen potissimùm procedit, quando intervenit copula, vel Matrimonium jam est contractum, de quibus vide infrà *num.* 260. *&* *n.* 265.

253 Praxis ritè proponendi causam *num.* 76. allegatam quæ est *Angustia loci.*

Quòd, cùm dicta Oratrix in dicto loco (qui priùs exprimi debet juxta dicta *n.* 243.) *propter illius Angustiam virum non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; cupiunt Oratores matrimonialiter invicem copulari. Sed quia &c.*

254 Hæc causa subinde ponitur etiam cum nota clausula *etsi extra*, quæ quidem licèt necessaria non sit ad impetrandam Dispensationem super *tertio*, *vel tertio & quarto*, tamen videtur necessaria, vel certè valde expediens ad Dispensationem obtinendam super *secundo & tertio*, vel *quarto* gradu, si sola *Angustia loci*, & nulla alia causa proponatur, ut benè advertit Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 11. Proponitur autem sequenti modo.

Quòd, cùm dicta Oratrix in dicto loco propter illius angustiam virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, qui nubere possit, invenire nequeat, & si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta statûs sui conditionem nubere posset, invenire valeret. Cupiunt &c.

255 Praxis ritè proponendi causam *nu.* 81. allegatam, quæ est *defectus competentis dotis.*

Hæc praxis jam patet ex formula suprà *num.* 240. allegata. Notandum tamen, quod, si vir fœminam cum minus competente dote Oratricem non tantùm accipere, sed etiam dotem illius juxta qualitatem Oratricis augere vult, Dispensatio faciliùs etiam in minùs remotis gradibus videlicet secundo & tertio acquiri valeat, uti ex stylo benè observat Corrad. *lib.* 7. *cap.* 2. *numer.* 37. Tunc autem ita proponitur causa.

Quòd, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem juxta statûs sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minùs competente dote in uxorem ducere, illiusque dotem usque ad quantitatem, secundùm dictæ Oratricis qualitatem competenter augere intendat. Sed quia &c.

256 Si puella est omnino indotata, adhuc faciliùs, & pro nobilibus etiam in *secundo*; item *primo & secundo gradu* obtinetur Dispensatio. Causa autem tunc ita proponitur.

Quòd, cùm dicta Oratrix indotata existat, & dictus orator sic indotatam in uxorem ducere, ac usque ad quantitatem secundùm dictæ Oratricis qualitatem, competenter ex integro dotare intendat; quo casu tamen Dispensationem Delegatus executioni mandare non potest, nisi priùs Orator Oratricem actu dotaverit: ob quod etiam inseritur Dispensationis litteris clausula, *si, & postquàm dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur.*

257 Quòd, si non ipse Orator, sed alius incompetentem dotem puellæ augere, vel eam indotatam ex integro dotare velit cum conditione, ut nubat Oratori; proponitur causa sequenti modo.

Quòd, cùm dicta Oratrix dotem habeat minùs competentem; juxta statûs sui conditionem, cùm qua virum paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat; & quidam Oratorum consanguineus (*vel bonus amicus*) *ad id aliàs non obligatus Oratricis dotem, ita tamen, ut Oratori nubat, & non aliàs usque ad quantitatem, secundùm ejusdem Oratricis qualitatem competenter augere, dictusque Orator illam cum dicta minùs competente dote, & illius augmento in uxorem ducere intendat. Sed quia &c.*

Si indotatam alienus etiam ex integro dotare velit, proponatur juxta *nu.* 256. & immediatè præcedentem mutatis mutandis.

Praxis ritè proponendi causam *nu.* 92. allegatam, quæ est *Ætas mulieris* 24. *annorum.*

258 *Quòd, cùm dicta Oratrix vigesimum quartum annum, & ultra suæ ætatis agens, virum paris conditionis, cui nubere possit, hactenùs non invenit. Cupiunt Oratores &c. matrimonialiter copulari. Sed quia &c.*

Praxis ritè proponendi causam *nu.* 96. allegatam, quæ est *Locus ad littus maris.*

259 Exponitur circa hanc causam præter locum Diœcesis, etiam locus Oratorum, uti in Angustia loci, dein causa ita proponitur.

Quòd, cùm dictus locus ad littus maris existat, ac propterea continuis pyratarum, ac infidelium invasionibus obnoxius, & sic exteri homines cum difficultate, seu non ita libenter ad contrahendum cum ejusmodi habitatoribus ad illam accedere velint. Cupiunt &c.

260 Praxis ritè proponendi causam *num.* 49. allegatam quæ est *copula præhabita.*

Hæc copula potest vel scienter, vel ignoranter inter impeditos haberi; item cum spe faciliùs obtinendi Dispensationem, vel sine tali spe, quæ omnia, prout se habent, necessariò sunt exprimenda juxta dicta *n.* 55. Porro in expositione hujus causæ solet plerumque ipsum impedimentum ante causam poni, & sic aliqualiter alius esse modus proponendi. Hinc integram supplicationem ex hac utpote sæpiùs redeunte causa proponam.

Si itaque præcedit copula scienter sine spe faciliùs consequendi Dispensationem, ita supplicatur.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter Sanctitati Vestræ pro parte devotorum illius Oratorum Petri N. Laici, & Luciæ N. Diœcesis Ratisbonensis, quòd ipsis aliàs scientibus, se tertio consanguinitatis gradu à communi stipite proveniente invicem esse conjunctos, Orator prædictus, non quidem data opera, ut crimine admisso hæc causa foret Sanctitatem Vestram, & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesana libidine victus Oratricem carnaliter cognovit. Cùm autem Pater Sanctè si Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent oriri. Cupiunt præfati oratores matrimonialiter copulari. Sed quia obstante impedimento ejusmodi desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicant &c.

Si scienter præcessit copula cum spe faciliùs obtinendi Dispensationem, ita supplicatur.

Beatissime

Beatissime Pater.

261 *Exponitur &c.* ut suprà, *quòd ipsis aliàs scientibus se secundo consanguinitatis gradu esse conjunctos, sub spe faciliùs obtinendi à Sanctitate Vestra Dispensationem carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt.* (Si tantùm una pars sub tali spe peccasset, altera vero v. g. Oratrix non proponitur, uti res se habet *v. g. præfatus Orator sub spe &c. Oratricem, nullam spem habentem* (*Sanctitatem Vestram, & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga eam faciliores reddendi carnaliter cognovit. Cùm autem Pater Sancte, nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur, dicta mulier diffamata, & innupta maneret, graviaque inde scandala possent oriri, simulque utrique parti periculum vitæ imminere. Cupiunt &c.*

262 Nota, quòd, quando Oratores non nobiles sollicitant pro Dispensatione super secundo Consanguinitatis, vel primo, aut secundo Affinitatis gradu, debeant juxta dicta *n.* 122. & alibi, allegare etiam periculum vitæ, præsertim si sub spe faciliùs obtinendi Dispensationem peccârunt.

Si copula ignoranter fuit habita, supplicatur taliter.

Beatissime Pater.

263 *Exponitur &c.* ut suprà *n.* 260. *quòd ipsi, aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minùs possent matrimonialiter copulari, carnis fragilitate devicti se carnaliter cognoverunt. Postmodùm verò ad eorum devenit notitiam se secundo, & tertio Consanguinitatis gradu esse conjunctos. Cùm autem Pater Sancte nisi Matrimonium &c.* ut suprà *nu n.* 260.

Praxis ritè proponendi causam *n.* 59. allegatam, quæ est *Infamia Mulieris ex suspicione*, etsi falsâ, *de copula ob suspectam conversationem.*

264 Expositis Nominibus Oratorum & Diœcesis ita dicitur: *quòd ipsi, aliàs scientes se tertio v. g. consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, non quidem datâ operâ &c. ut suprà n.* 260. *insimul conversati sunt; seque* (*si oscula intervenerint*) *deosculati sunt, carnali tamen copulâ inter eos minimè subsecutâ. Et nihilominùs orta est suspicio, licèt falsa, quod ipsi Oratores carnaliter se cognoverint. Cùm autem Pater Sancte præmissa publicæ existant, & nisi Matrimonium inter eos contrahatur, dicta Oratrix graviter diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent oriri. Cupiunt &c.* ut suprà *num.* 260.

Praxis ritè proponendi causam *n.* 97. allegatam, quæ est *Matrimonium jam contractum.*

265 Sicut suprà de copula diximus, potest etiam Matrimonium *scienter* vel *ignoranter*, seu bona, vel mala fide inter impeditos contrahi: idque vel cum, vel sine spe faciliùs obtinendi Dispensationem, in facie Ecclesiæ, vel clandestinè, potestque posteà Matrimonium consummari, vel non, quæ omnia debent exprimi. Si scienter contrahitur & consummatur absque spe faciliùs obtinendi Dispensationem.

Exponitur humiliter &c. ut suprà *num.* 260. *quòd ipsi, aliàs scientes se quarto consanguinitatis gradu conjunctos, Orator præfatus non quidem datâ operâ &c.* ut suprà *nu.* 260. *Matrimonium inter se de præsenti in facie Ecclesiæ, vel clandestinè & de facto contraxerunt, ac consummârunt. Cùm autem Pater Sancte Oratores præfati in hujusmodi Matrimonio remanere non possint absque Sedis prædictæ Dispensatione, & si divortium inter eos fieret, gravia inde scandala possent verosimiliter exoriri. Supplicant igitur &c.*

Si scienter cum spe faciliùs obtinendi Dispensationem unius vel utriusque fuit contractum, eodem modo supplicatur, excepto quòd loco verborum *Non quidem datâ operâ &c.* ponantur verba *sub spe facilius &c.* ut suprà *n.* 261.

Si ignoranter & bona fide ex parte utriusque fuit contractum, ita supplicatur.

266 *Exponitur &c.* ut suprà *num.* 260. *quòd ipsi, aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minùs possent invicem matrimonialiter copulari, Matrimonium inter se per verba de præsenti publicè, factis denuntiationibus in eorum Ecclesia Parochiali* (vel si has omiserunt, *omissis tamen denuntiationibus*) *juxta formam Concilii Trident. nulloque detecto, vel denuntiato impedimento contraxerunt, illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, & copula carnali consummârunt. Postmodùm verò ad eorum pervenit notitiam, eos tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, propter quod à carnali copula abstinuerunt* (si pertexissent in copula exprimi & dici deberet) *& nihilominus in eadem copula carnali perstiterunt. Cùm autem Pater Sancte &c.* ut suprà *n.* 264. *Supplicant igitur &c.*

Si tantùm una pars ignoranter, altera verò scienter & mala fide contraxit, & de hoc nemo quid scit, supplicatur S. Pœnitentiariæ, ut infrà §. *IX.*

Praxis ritè proponendi causam *numer.* 98. allegatam, quæ est generalis *ex certis rationabilibus causis.*

Notandum, quòd quidem circa hanc causam soleat explicari qualitas, Oratores de honestis familiis aut nobiles existere, de eo tamen Executores pro verificatione indagare non debeant, neè possint juxta *n.* 98. Cæterùm proponitur hæc causa taliter, nempe explicatis nominibus Oratorum & Diœcesis, dicitur: *Qui ipsi ex honestis familiis vel nobiles existunt ex certis rationabilibus causis animos eorum moventibus cupiunt &c.*

267 Quæritur V. Quo modo in praxi proponantur ipsa impedimenta? Resp. Ritè expressa Dispensationis causâ, & patefactò desiderio ineundi invicem Matrimonium, exprimitur in specie obstans inter eos impedimentum, *Sed quia &c.* Excepto casu, quo ob copulam vel jam contractum Matrimonium, petitur Dispensatio: quia tunc paulò aliter fit expressio impedimenti, & causæ juxta dicta à *num.* 260. Cæterùm ut quivis ritè & commodè exprimere impedimentum valeat, subjungitur quoque praxis ritè exprimendi quodvis impedimentum, super quo Papa pro foro externo dispensare potest, & solet.

Praxis proponendi impedimentum *Consanguinitatis.*

268 *Sed quia in secundo, vel quarto Consanguinitatis gradu conjuncti sunt, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicant igitur &c.*

269 Si inæqualiter distant à communi stipite, etiam propinquus gradus debet omninò exprimi, præcipuè si sit primus ob dicta suprà à *num.* 166. v. g. *Sed quia in primo & secundo*, vel *in primo & tertio*, vel *primo & quarto*, vel *secundo & tertio*, vel *secundo & quarto*, *vel tertio & quarto à communi stipite provenientibus consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium suum &c.* ut suprà *num. præced.*

270 Ubi tamen notandum, quod si cum secundo vel tertio concurrat primus, non sufficiat simpliciter asserere, eos esse in primo & secundo v. g. vel in primo & tertio, sed debeat etiam addi provenientia, seu distinctè declarari, qualiter sint in his

his gradibus dicendo v. g. *Sed quia sunt conjuncti in primo & secundo Consanguinitatis gradibus ex communi stipite, & ex eo provenientibus, quia Orator est patruus, vel avunculus Oratricis*: vel *quia Oratrix est matertera*, vel *Amita Oratoris*: *vel quia sunt in primo & tertio Consanguinitatis gradibus ex communi stipite, & ex eo provenientibus, quod Orator sit patruus magnus, vel avunculus magnus Oratricis; vel quod Oratrix sit amita, vel matertera magna Oratoris &c.* Corrad. *cit. lib. 7. cap. 3. à n. 22.*

271 Quòd, si duplici Consanguinitatis, vel Consanguinitatis & Affinitatis vinculo simul conjuncti sunt, fideliter quoque exprimi debet de quo ad longum vide practicam expressionem apud Corrad. *lib. 7. cap. 6. à n. 62.*

Praxis exponendi Impedimentum *Affinitatis.*

272 Hoc impedimentum eodem ferè modo, quo Consanguinitas proponitur, addito tamen, an ex licita vel illicita copula oriatur Affinitas, casu quo super primo vel secundo gradu petitur dispensatio juxta dicta *n.* 196. Item an Affinitas sit in linea recta, vel transversali: debet etiam adverti, quòd loco verborum *invicem conjuncti sunt*, adhiberi debeant verba *se attinent*, uti benè advertit Corrad. Justis, & alii practici Curiales.

Putat autem Corrad. esse quoque addendam provenientiam primi, vel primi & secundi gradûs, etiam quando ex copula illicita orta est v. g. *Sed quia primo affinitatis gradu se attinent, ex eo proveniente, quòd Orator matrem vel sororem adhuc superstitem* (si enim adhuc est in vita, etiam explicari debet) *carnaliter cognovit &c.* Vel si ex copula licita est: *Sed quia primo Affinitatis gradu se attinent ex eo proveniente, quod Orator priùs uxorem habuerit matrem, vel sororem Oratricis*: Vel *sed quia primo & secundo Affinitatis gradibus se attinent ex eo provenientibus, quod Orator priùs uxorem habuerit matertera Oratricis, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur &c.*

In remotioribus gradibus v. g. tertio, vel secundo & tertio, vel tertio & quarto non ampliùs est necesse addere provenientiam juxta dicta.

Praxis ritè exprimendi Impedimentum *publicæ honestatis.*

273 Circa hoc debet exprimi provenientia, ut Papa intelligat, an ex Matrimonio rato non consummato, vel potiùs ex solis Sponsalibus de futuro proveniat; solet etiam addi in honestate ex Sponsalibus de futuro, quòd Sponsus vel Sponsa carnaliter non fuerit cognita v. g. *Sed quia aliàs dictus Orator Sponsalia per verba de futuro cum Oratricis sorore, vel matre adhuc superstite, vel ad præsens defuncta contraxit, quæ quidem Oratricis soror, vel mater ab eodem Oratore intacta remansit, desiderium suum hac in parte adimplere non possunt. Supplicant igitur &c.*

Praxis ritè exprimendi impedimentum *Cognationis Spiritualis.*

274 Circa hoc quoque impedimentum debet exprimi provenientia, ut Papa videre valeat, an sit filiatio vel paternitas Spiritualis juxta dicta *num.* 200. v. g. *Sed quia aliàs dictus Orator ipsam Oratricem, vel prolem Oratricis è sacro fonte levavit*, vel *in Confirmatione tenuit, desiderium suum &c.* Si est duplex cognatio spiritualis, pariter exprimi debet juxta dicta *n.* 201. v. g. *Sed quia Oratrix prolem Oratoris, & econtra Orator prolem Oratricis in Confirmatione tenuit*, vel *è sacro fonte levavit, desiderium suum &c.* vel *Sed quia Orator prolem Oratricis unam tenuit in Confirmatione, alteram è sacro fonte levavit, desiderium suum &c.*

Praxis ritè exprimendi Impedimentum *Criminis.*

275 Circa hoc impedimentum debet exprimi, quòd neutro machinante in mortem existat; alterutro siquidem & à fortiori, utroque machinante nunquam dispensatur pro foro externo, benè tamen interno juxta dicta *num.* 138. & 139. Notandum insuper, quòd, dum petitur dispensatio super hoc impedimento, Illud ante causam dispensationis exprimi soleat: de quo ut magis pateat integram supplicationem pro Dispensatione super hoc crimine adducimus v. g.

Beatissime Pater.

Exponitur humiliter S. V. pro parte devotorum illius Oratorum M. & N. Diœcesis N. Quòd aliàs constante matrimonio inter ipsum Oratricem, & ejus virum prædefunctum, Oratores ipsi carnis fragilitate devicti, data sibi invicem fide de Matrimonio inter se, post obitum Oratricis viri præfati contrahendo se carnaliter cognoverunt. Posmodùm verò Oratricis vir prædictus (neutro tamen eorum in ejus mortem machinante) sicut Domino placuit, ab humanis decessit. Cùm autem Pater Sancte, nisi Matrimonium prædictum inter dictos Oratores contraheretur, dicta Oratrix diffamata, & innupta remaneret; graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Cupiunt oratores prædicti matrimonialiter copulari, sed stante impedimento &c. Supplicant igitur humiliter E. S. V. &c. quatenùs cum eisdem Oratoribus quòd impedimento ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante, matrimonium inter se publicè &c. dispensare, Prolemque suscepta post obitum viri prædicti, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo, dignemini de gratiâ speciali. Non obstantibus præmissis &c.

Praxis ritè proponendi impedimentum *Voti.*

Votum aliud est solemne, aliud simplex: illud est 276
dirimens, hoc verò impediens solummodò impedimentum per dicta superiùs. Utrumque si publicum est, proposita priùs dispensandi causâ, sequenti modo exprimi potest.

Sed quia Orator præfatus in Religione Ordinis S. Dominici Professus, & Sacerdos, vel *sed quia sacro Diaconatûs, vel Presbyteratûs Ordine initiatus, in nulla tamen Religione professus existit.* Vel si votum simplex habet; *Sed quia simplex votum castitatis emisit: desiderium suum hac in parte adimplere non possunt absque Sedis Apostolicæ Dispensatione. Supplicant igitur &c.*

Si votum est occultum, dispensatur super eo in Pœnitentiaria juxta dicenda infrà §. *IX.* Et si non est perfectum, vel non absolutum, vel non perpetuum, dispensant Regulares juxta dicta *Lib. III. Tit. XXXIV.*

Quæritur VI. Qualiter in praxi fiat petitio pro 277
Dispensatione, & quomodo finiatur supplicatio? Resp. Expressis in supplicatione causa, & desiderio Dispensationis, nec non impedimento, super quo dispensatio est necessaria, supplicant humiliter Oratores, ut cum ipsis super allegato impedimento non obstantibus quibuscunque dispensare, & prolem suscipiendam legitimam declarare dignetur, fit autem talis petitio, modo sequenti.

Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ Oratores præfati, quatenus cum ipsis, quod impedimento quarti Consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante, si est aliud impedimentum priùs in supplicatione allegatum, hîc pariter allegatur, v. g. *quod impedimento primi gradûs publicæ honestatis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante*; Vel *quod impedimento Cognationis spiritualis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante*; Vel *quod impedimento criminis ex præmissis proveniente hujusmodi non obstante*; Et sic de aliis impedimentis;

mentis; *Matrimonium inter se publicè servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare & in eo postmodùm remanere liberè ac licitè valeant, dispensare, prolemque suscipiendam exinde legitimam decernendo dignemini de gratiâ speciali: Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordination bus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque cum clausulis opportunis.*

278 Quando supplicatur pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis in gradibus v. g. *tertio & quarto*, uti in copia *n.* 240. allegata, fit primo humilis petitio pro Dispensatione super remotiori gradu, & dein pro declaratione, *propinquiorem non obstare* tali modo. *Supplicant igitur humiliter Oratores præfati, quatenùs cum ipsis, quod impedimento quarti consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante &c.* ut suprà *num. præced. dispensare, distantiam vero tertii gradûs prædicti non obstare, declarare prolem &c.* ut suprà, *dignemini*, ut suprà *num. præced.*

279 Si autem supplicatur pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis, vel Affinitatis, vel Cognationis Spiritualis, casu quo scienter, vel ignoranter præcessit incestuosa copula, vel Matrimonium jam fuit contractum sive bona sive mala fide, rogant Oratores priùs pro absolutione ab Excommunicatione, & aliis, dein primùm pro Dispensatione tali modo præmissis nempe præmittendis ut suprà ponitur: *Supplicant igitur humiliter Sanctitati Vestræ Oratores præfati quatenùs eos ab excommunicationis sententia, quam propter præmissa incurrerunt, incestûs reatu, & excessibus hujusmodi in utroque foro absolvere, ac cum eisdem Oratoribus, quod impedimento quarti Consanguinitatis gradûs hujusmodi non obstante &c.* ut suprà *n.* 277.

280 Quòd, si una pars v. g. vir cum spe facilius consequendi dispensationem copulam habuit, vel Matrimonium iniuè contraxit, rogatur pro absolutione taliter: *Supplicant igitur humiliter Oratores præfati, quatenùs Oratorem à generali, Oratricem verò ab excommunicationis sententia &c.* ut suprà *n. præced.* ut videre est apud Corrad. *lib. 8. cap. 1. num. 26.*

281 Quæritur II. Per quos? Ad quos? quo modo? & quando Romam dirigi? ac ubi ibidem tradi debeat supplicatio pro obtinenda Dispensatione Matrimoniali? Resp. I. Si supplicatio juxta stylum Curiæ est ritè concepta, potest variis viis & mediis dirigi Romam Præsentissima & securissima via est recurrere ad RR. Ordinarium, vel ejus Vicarium Generalem, aut Consilium Ecclesiasticum, vel practicum Consiliarium, aut Secretarium ejusdem, rogando, ut supplicationem Romam dirigere, & per RR. Ordinarii Agentem (quivis enim Episcopus Româ longè distans Agentem ibidem habere solet) supplicationem in loco debito porrigere, atque Dispensationis litteras, earumque expeditionem urgere dignetur.

282 Quòd, si quis ob rationes sibi notas hac via incedere nolit, potest per seipsum, vel per tertium alium mediâ postâ Ordinariâ supplicationem ritè conceptam mittere Romam ad aliquem Agentem vel Episcopi, vel Principis territorialis, vel ad Procuratorem Generalem alicujus Ordinis per Religiosum talis Ordinis, vel ad alium notum bonum amicum ibidem existentem, rogando, ut eam in loco debito porrigere, & expeditionem urgere dignetur; ad hæc tamen debet, quòd taxam consuetam non tantùm solvere, sed labores quoque sollicitatoris realiter recognoscere velit.

283 Notandum etiam III. quòd Domini Itali & Germani, nisi sufficientem de necessaria solutione habeant assecurationem, aut personam aliàs satis notam; cui fidere possint, non facilè credant, ac propterea nec quid laboretur ibidem, nec obtineatur pro foro externo. Neque id eis vitio vertendum, ob plures fraudes ex parte Oratorum jam commissas, & facilè adhuc committendas.

Notandum ulteriùs, quòd Procuratores Generales Ordinum non libenter suscipiant munus procurandi Dispensationes matrimoniales pro foro externo, nisi concernant præcipuos Benefactores Ordinis, & necessaria solutio taxæ per Cambium, & alia viâ certè ac securè ita ordinetur, ut semper ad manus haberi possit: idque procedit præcipuè in Procuratore Generali Ordinis nostri Seraphici, utpote qui negotia Ordinem non concernentia illibentissimè suscipit. 284

Resp. II. Si petitur Dispensatio ob copulam ex impregnatione palam futuram, summè expedit, ut maturè, & antequam ad Judicem sæcularem causa incestûs deducatur, Dispensatio Romæ sollicitetur, præsertim si incestus esset cum consanguinea in secundo, vel cum Affine in primo, aut secundo gradu ob rationem infrà allegandam. *num.* 346. 285

Resp. III. Romæ debet supplicatio offerri vel in Dataria, vel Cancellaria, vel Præfectura Brevium pro diversitate nempè graduum, quibus Oratores sunt conjuncti juxta dicta *n.* 232. quod Practici Romæ existentes optimè norunt. 286

Quæritur VIII. Quomodo hactenùs dicta compendiosè fiari & pro ritè formanda supplicatione in praxi applicari valeant? Resp. sequenti modo. Ante omnia videri debet, an adsit justa aliqua ex recensitis *à nu.* 69 rationabilis causa, ob quam Papa dispensare super impedimento obstante potest, & solet. Habitâ causâ fiat supplicatio modo hactenus allegato: videlicet, primò fit initium, & exprimitur nomen ac cognomen utriusque Oratoris juxta dicta *nu.* 241. & 242. Secundò exprimitur nomen Diœcesis, & (si ob angustiam loci petitur Dispensatio) etiam loci Oratricis juxta dicta *num.* 243. Tertiò statim subjungitur dispensandi causa, & desiderium Matrimonium ineundi juxta dicta *num.* 244. & 245. *ac seqq.* Quartò exprimitur ipsum impedimentum juxta dicta *numer.* 267. & *seqq.* Notandum tamen circa expressionem causæ, & impedimenti, quòd, si ob præcedentem copulam, vel jam contractum Matrimonium petatur Dispensatio, paulò aliter proponatur ac exprimatur causa dispensandi, & impedimentum; nam impedimentum tunc ponitur ante causam, juxta formulas *à num.* 260. & *seqq.* Quintò, Expressis præfatis cunctis, fit ipsa petitio pro Dispensatione juxta dicta *à n.* 277. & si Oratores inæquali gradu distant, pro declaratione juxta dicta *n.* 278. Nec non pro absolutione, casu quo copula incestuosa præcessit, vel Matrimonium jam fuit contractum. 287

Quæritur IX. Quid faciendum illi, qui hactenùs quantumvis clarè & practicè dicta non satis penetrat, vel sufficienter legendi, & ritè applicandi tempus non habet, aut sibi ipsi non fidens securiùs procedere cupit? Resp. Talem, imo & quemvis alium optimè facere, & securissimè procedere, si necessariò exprimenda breviter exprimit, videlicet I. Nomen & cognomen utriusque Oratoris contrahere volentis. 2. Speciem, & gradum impedimenti addendo etiam propinquum, si inæquali gradu distant; ac copulam si præhabita est cum, vel sine spe facilùs obtinendi Dispensationem. 3. Si Matrimonium jam est contractum, an bona vel mala fide, præmissis denuntiationibus, vel sine illis sub spe faciliùs consequendi Matrimonium, vel sine tali spe, 288

ipse, & tandem exprimat causam Dispensationis. Casum sic expressum mittat ad RR. Ordinarium, vel ad aliquem Romæ jam existentem ex dictis nu. 282. rogando, ut Dispensationem juxta stylum curiæ apud Sedem Apostolicam procurare dignetur pro oratoribus paratis ad solvendam taxam consuetam. Habito siquidem casu ritè explicato, talis Ronæ existens bonus amicus, vel Agens supplicationem juxta stylum Curiæ vel ipsemet faciet, vel per alium peritum Romæ fieri curabit, & in loco debito porriget, expeditionem urgebit, & impetratas Dispensationis litteras ad Oratores diriget.

289 Sic v. g. Parochus aliquis potest casum venientium ad se Parochianorum, Dispensationem super impedimento desiderantium breviter & ruditer statim ita proponere v. g.

Petrus N. laicus, & Anna N. Diœcesis Frisingensis, vel quorum prior Frisingensis, hæc verò Ratisbongensis Diœcesis est, cupiunt matrimonialiter copulari; quia verò laborant impedimento Consanguinitatis in tertio & quarto gradu, rogant humillimè, & ego cum ipsis, dignetur RR. Dominatio sua &c. pro eis Dispensationem juxta stylum Curiæ in forma ordinaria procurare. Causa Dispensationis allegari potest copula ob impregnatam Oratricem jam publica, quæ tamen absque spe facilius consequendæ Dispensationis fuit habita. Sic poteft etiam alia causa adduci, si adest, v. g. *pro causa dispensandi servit incompetens dos Oratricis. Taxam consuetam, & alias expensas cum gratiarum actione, & debita recognitione exactè solvent &c.*

290 Quòd si in forma pauperum desideraretur Dispensatio, observanda erunt dicenda infrà §. *VIII.*

§. VII.

De Formulis litterarum Apostolicarum, quibus Romæ demandatur Dispensatio pro Foro Externo per Executorem facienda: Et de Executore, atque Executione earundem Litterarum: Nec non de quibusdam præfatarum litterarum clausulis observandis, & verificandis.

SUMMARIUM.

291 *Romæ actu non dispensatur, sed datur tantùm mandatum dispensandi Rescriptum in forma gratiosa, & in forma Dignum quid? Ibid.*
292 *Formula Apostolicarum litterarum pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in gradibus inæqualibus sine copula ob angustiam loci.*
293 *Formula super gradu æquali, & quando præcessit copula.*
294 *Formula quando Matrimonium jam est contractum.*
295 *Executor Litterarum Apostolicarum deputatur vel Ordinarius, vel ejus Vicarius Generalis, & hic plerumque constituitur.*
296 *Vicarius Generalis ultra montes vocari solet in Bulla Officialis.*
297 *Quo nomine nunquam intelligitur Officialis Capituli, unde nec exequi potest.*
298 *Si Vicarius deputatur, non potest exequi Episcopus, nec econtra: potest tamen unus alterum subdelegare.*
299 *Executor non potest exequi litteras, antequam eidem in originali præsententur.*
300 *Executio antea facta est nulla; sicut etiam, si ante Executionem de novo habent copulam.*
301 *Litteræ Apostolicæ difformes stylo, vel habentes insolitas clausulas sunt suspectæ.*
302 *Stylus litterarum Apostolicarum qualis?*
303 *Primò ponitur Nomen Pontificis, & quomodo?*
304 *Secundò Nomen delegati, cui committitur executio: Vicario Generali quomodo scribatur?*
Papa omnes tam Ecclesiasticos quàm Laicos vocat filios, apud fœminas addit dilectæ in Christo:
Episcopus vocat fratres. Ibid.
Episcopi sunt successores Apostolorum. Ibid.
305 *Fit etiam expressio Diœcesis, & quomodo?*
306 *Tertiò fit salutatio consueta.*
307 *Quartò ponitur nomen & cognomen Oratorum, & eorum Diœcesis.*
308 *Et quando ob angustiam loci petitur Dispensatio etiam locus Oratorum.*
309 *Quinto refert Papa petitionem Oratorum utendo eorum verbis formalibus.*
310 *Sextò fit absolutio à censuris.*
311 *Quæ certis quibusdam non suffragatur.*
312 *Servit tantùm ad effectum Dispensationis.*
313 *Septimò mandat Executori, ut observatis certis clausulis dispenset.*
314 *Clausula* Discretioni tuæ *quomodo intelligenda? Discretio est Mater omnium virtutum. Ibid.*
315 *Clausula* mandamus *importat præceptum.*
316 *Per clausulam*, quatenùs deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii etiam sponte oblati, *graviter prohibetur receptio cujusvis muneris, etiam esculentorum.*
In claris non admittitur interpretatio. Ibid.
317 *Solvitur objectio.*
318 *Neque sub prætextu laboris, taxæ papyri, vel consuetudinis aliquid accipere potest Executor, & num. seq.*
319 *Contra præceptum & obedientiam Superioris non datur præscriptio, nec quid valet consuetudo.*
320 *An, & quid ratione Executionis recipere possit Notarius?*
321 *Post executionem factam etiam Executor aliquid accipere potest.*
322 *Ad validam executionem requiritur prævia informatio, seu cognitio Executoris.*
323 *Clausula*, si preces veritate nitantur, *cuivis Rescripto Papæ de Jure tacitè inest. Non est eadem cum clausula:* si preces veritate niti repereris.
324 *Informatio prævia de veritate precum non fit judicialiter, sed extrajudicialiter, & quomodo?*
325 *Delegatus Executor potest pro capienda informatione alios subdelegare: & habet amplam potestatem.*
326 *Si adest contradictor, debent ita in scriptis redigi.*
327 *Clausula* si preces veritate niti repereris. *quomodo intelligenda? remissivè.*
328 *Clausula*, quòd ipsi Nobiles, vel de Nobili genere creati, vel Illustres existant, *An, quando, & quomodo verificanda? & tribus seqq.*
331 *Asserentes* se esse Nobiles, *quid debeant Oratores?*
332 *Et quid, si dicant se esse* de nobili genere procreatos, *& num. seq.*
334 Principales, vel ex principalioribus populi vel loci *quinam intelligantur?*
335 Ex honestis familiis, *quinam dicantur esse?*
336 Defectus dotis, *quomodo intelligendus remissivè?*
337 Per angustiam loci *intelligitur domicilium originis?*

338 Ætas

338 Ætas mulieris, *unde probetur?*
339 *Mulier tempore dispensationis debet habere 24. annum perfectè completum.*
340 Ab incestus reatu, & excessibus hujusmodi absolvas: *hæc clausula quando sit? potest hæc absolutio fieri extra confessionem?*
341 Impositâ eis salutari pœnitentiâ, *quomodo intelligenda, & adimplenda?*
342 In utroque foro absolvas: *quid importet?*
343 Et quatenùs causa &c. in judicium deducta fuerit, parito judicate, *importat conditionem, quì non observatâ invalida esset Dispensatio.*
344 *Etiamsi Oratores de parendo judicato cautionem præstarent.*
345 *Hinc antequam dispensent Executores, debent se priùs informare, an jam in aliquo foro sint delati; & judicato paruerint.*
346 *Si dispensatur cum incestuosis, antequam in foro externo aliquo deferantur, non ampliùs possunt puniri, utpote pro utroque foro jam absoluti.*
347 *Incestuosi ante dispensationem debent jurare, quòd absque spe faciliùs consequendi Dispensationem peccarint.*
348 *Quid Juris, & Consilii, si falsò jurent?*
349 *Non dicuntur peccâsse sub spe faciliùs consequendi Dispensationem, qui simpliciter habentes spem Dispensationis peccant.*
350 Dicta mulier diffamata &c. remaneret, graviaque inde scandala possent verosimiliter exoriri: *Ad verificandam hanc clausulam sufficit probabilis timor scandalorum.*
351 *Et ratione infamiæ suspicio copulæ.*
352 *Consanguinitatis gradus vel Affinitatis quomodo probentur?*
353 Dispenses, vi hujus clausulæ debet ipse Executor dispensare, & non potest subdelegare.
Nudum ministerium subdelegare non potest. Ibid.
354 *Quando Oratores inæqualiter distant, debet etiam propinquus gradus exprimi*
355 Prolem suscepturam, si qua sit, vel suscipiendam exinde, legitimam decernendo: *quomodo intelligendum? usque ad finem.*
356 *Proles illegitimè nata ante Matrimonium per Dispensationem legitimatur tantùm quoad effectus Ecclesiasticos.*
357 *Nata verò ex Matrimonio nulliter contracto legitimatur etiam quoad effectus temporales.*
358 *Dispensare in radice Matrimonii quid sit? & num. præced.*
359 *De praxi, quâ Executor in actu litteras exequi, & dispensare potest, ac debet. & num. seq.*
361 *Si reperit litteras subreptitias, debet scribi pro novis litteris* Perinde valere *dictis.*
Perinde valere *quid? Ibid.*
362 *Formulæ supplicationis pro litteris Perinde valere & duobus seqq.*
365 *Formula Executionis à Delegato facienda.*

291 QUæritur I. Quomodo? & in qua forma ad prævia m Supplicationem Romæ dentur, & expediantur pro foro externo Dispensatio, seu potiùs litteræ Apostolicæ pro Dispensatione super impedimentis Matrimonii? Resp. I. Quamvis præfatæ litteræ communiter vocari soleant Dispensatio Pontificia, vel litteræ Dispensationis Pontificiæ, tamen veram Dispensationem actualem non continent; eò quòd juxta modernum stylum non ampliùs concedantur, ut olim *in forma gratiosa* (qua Papa ipsemet actu dispensat) sed *in forma commissoria*, qua Papa alteri, præcipuè verò Oratorum Ordinario mandat, ut litteras prætatas exequatur, & Authoritate Apostolica actu dispenset, *si preces veritate nituntur*, & consequenter Oratores dignos repereri Dispensatione. Corrad. cum communi aliorum. Itque notorius stylus Curiæ.

Ut autem magis pateat, exhibentur hic per extensum formulæ Litterarum Apostolicarum dispensationis pro fore externo super impedimentis Matrimonii.

Formula litterarum Apostolicarum super impedimento consanguinitatis in gradibus inæqualibus sine copula ob angustiam loci.

Urbanus Episcopus Servus servorum Dei Dilecto filio Vicario Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus generali Salutem & Apostolicam benedictionem. Oblatæ nobis nuper pro parte dilecti filii Stephani N. Laici, & dilectæ in Christo filiæ Catharinæ N. mulieris Neapolit. diœcesis ex loco de Resina ortorum petitionis series continebat. Quòd, cùm dicta Catharina in dicto loco propter illius angustiam, virum sibi non consanguineum, vel affinem paris conditionis, cui nubere posset, invenire nequeat. Cupiunt Stephanus & Catharina præfati invicem matrimonialiter copulari; sed quia Tertio, & Quarto à communi stipite provenientibus, Consanguinitatis gradibus invicem sunt conjuncti, desiderium eorum hac in parte adimplere non possunt, absque sedis Apostolicæ dispensatione. Quare iidem Stephanus, & Catharina, asserentes se ex dicto loco ortos existere, nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenus eis in præmissis de opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur eosdem Steph. & Catharinam, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, Censuris, & pœnis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii etiam sponte oblati, à quo te omninò abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eandem preces veritate niti repereris, ita per quo tuam conscientiam oneramus: tunc cum eisdem Stephano, & Catharina (dummodò ita propter hoc rapta non fuerit) quòd impedimento Quarto consanguinitatis gradus hujusmodi, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus matrimonium inter se publicè, servatâ formâ Concil. Trid. contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant auctoritate nostra dispensas. Distantium verò Tertii gradus præfati eis non obstare declares. Prolem suscipiendam exinde legitimam nunciando. Volumus autem, quòd si spreta monitione nostra hujusmodi aliquid muneris, aut præmii occasione dictæ dispensationis exigere, aut oblatum recipere tuæ è præsumpserit; excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ &c. 292

Formula litterarum Apostolicarum pro Dispensatione super impedimento Consanguinitatis in tertio gradu æquali ob præcedentem copulam.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei, Dilecto 293

lecto filio Vicario venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali, salutem, & Apostolicam benedictionem. Oblatam nobis nuper pro parte dilecti filii Laurentii N. Laici, & dilectæ in Christo filiæ Joannæ N. mulieris Neapolitan. petitio continebat. Quod, ipsis aliàs scientibus se Tertio affinitatis gradu invicem attinere, Laurentius præfatus non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso hæc causa foret Nos, & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesana libidine victus, prædictam Joannam cognovit. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, nisi matrimonium inter dictos Laurentium & Joannam contrahatur, dicta Joanna diffamata, & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Cupiunt Laurentius & Joanna prædicti invicem matrimonialiter copulari; sed stantibus impedimentis hujusmodi, desiderium eorum in hac parte adimplere non possunt absque Sedis prædictæ dispensatione: Quare idem Laurentius & Joanna Nobis humiliter supplicari fecerunt, quatenùs eis in præmissis, de absolutionis beneficio, & opportunæ dispensationis gratia providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui salutem quærimus singulorum & scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantùm cum Deo possumus, libenter obviamus, eosdem Laurentium & Joannam, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat, consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii etiam sponte oblati, à quo te omnium abstinere debere monemus, te de præmissis diligenter informes, & si per informationem eandem preces veritate niti repereris; super quo tuam conscientiam oneramus; tunc eosdem Laurentium & Joannam ab incestûs reatu, & excessibus hujusmodi, impositâ eis priùs propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, pœnitentiâ salutari, & recepto ab eis juramento, quod sub spe faciliùs habendæ dispensationis hujusmodi incestum hunc non commiserint, hac vice duntaxat in forma Ecclesiæ consueta in utroque foro, authoritate nostra absolvas; Et quatenùs contra ipsos causa super præmissis in judicium, quoquo modo inducta fuerit, partio judicato; ac cum eisdem Laurentio & Joanna, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, quod impedimento Tertii affinitatis gradûs hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se publicè servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè, & licitè valeant, dictâ authoritate dispenses, Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam, exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quod, si spreta munitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii, occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Dat. Romæ &c.

Formula Litterarum Apostolicarum pro dispensatione super impedimento Consanguinitatis in quarto gradu ob contractum jam bona fide Matrimonium.

Alexander Episcopus Servus servorum Dei dilecto 294
filio Vicario Venerab. fratris nostri Archiepiscopi Neapolitan. in spiritualibus generali Salutem, & Apostolicam benedictionem. Ex parte dilecti filii Joannis nati Salvatoris; & dilectæ in Christo filiæ Franciscæ natæ Laurentii mulieris Neapolitan. nobis oblata petitio continebat. Quod ipsi, aliàs ignorantes aliquod impedimentum inter eos existere, quo minùs possem invicem matrimonialiter copulari, matrimonium inter se, per verba de præsenti, publicè factis proclamationibus in eorum Parochiali Ecclesia juxta formam Concilii Tridentini, nulloque detecto, neque denuntiato impedimento contraxerunt; illudque in facie Ecclesiæ solemnizârunt, ac carnali copula consummârunt. Postmodum verò ad eorum pervenit notitiam, eos Quarto Consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos; & nihilominùs in eadem carnali copula perstiterunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subjungebat, Johannes & Francisca præfati in hujusmodi matrimonio remanere non possint absque Sedis Apostolicæ dispensatione; & si divortium inter eos fieret, gravia exinde scandala possent verosimiliter exoriri. Quare iidem Joannes & Francisca nobis humiliter supplicari fecerunt, ut eis in præmissis, de absolutionis beneficio, & opportunæ dispensationis gratia providere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salutem quærimus singulorum, & scandalis quibuslibet, ne eveniant, quantùm cum Domino possumus, libenter obviamus, eosdem Joannem & Franciscam, ac eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis; si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, ac certam de præmissis notitiam non habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii etiam sponte oblati, à quo te omnino abstinere debere monemus, de præmissis te diligenter informes, & si per informationem eandem preces veritate niti repereris. super quo tuam conscientiam oneramus, tum Joannem & Franciscam præfatos ab incestûs reatu, & excessibus hujusmodi, impositâ priùs eis propter incestum hujusmodi, arbitrio tuo, pœnitentia salutari, hac vice duntaxat in forma Ecclesiæ consueta, in utroque foro authoritate nostra absolvas: & quatenùs contra dictos Joannem & Franciscam causa super præmissis, in judicium quoquo modo deducta fuerit, partio judicato: ac cum ipsis Joanne & Francisca, dummodo ipsa propter hoc rapta non fuerit, & ignorantia hujusmodi probabilis extiterit, quòd impedimento Quarti Consanguinitatis gradûs hujusmodi, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis nequaquam obstantibus, matrimonium inter se de novo publicè servata forma dicti Concilii contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodùm liberè & licitè remanere valeant, authoritate nostra dispenses; Prolem susceptam, si qua sit, & suscipiendam exinde legitimam decernendo. Volumus autem, quòd, si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras. Qua tamdiu innodatus existas, donec per satisfactionem condignam absolutionis beneficium à Sede Apostolica merueris obtinere. Dat. Romæ &c.

Quæritur II. Quis sit Executor litterarum pro 295
Dispensatione Matrimoniali? quando? & quomodo in

in Executione procedere? ac quid observare debeat? Resp. I. Executor legitimus est solus Ille, qui à Papa in præfatis litteris deputatur, seu cui Executio illarum demandatur. Solet autem demandari Oratorum Ordinario, vel ejus Vicario Generali conformiter Concil. Trident. *Sess. 22. de Reformat. Matrim. cap. 5.* Patetque ex notorio stylo. Plerumque autem committitur Vicario Generali Episcopi uti benè observat Corrad. *lib. 7. cap. 4. n. 13.* & testatur praxis quotidiana.

296 Notandum tamen cum Corrad. *loc. cit. num. 12.* quòd, si Dispensationes committantur ultra Montes v. g. apud nos in Germania exequendæ, Vicarii Generales in Bulla vocentur *Officiales*, fiatque inscriptio ad ipsos taliter: *Dilecto Filio Officiali Frisingensi* v. g. vel *Ratisbonensi*; ubi, uti vides, licèt non exprimatur *Episcopus* dicendo, Officiali *Episcopi Frisingensis* (uti fit, si scribitur Vicario Generali ultra Montes non existenti; sicut constat ex formulis suprà *d. n 292.* allegatis:) sed tantùm Diœcesis, dicendo, *Officiali Frisingensi*, tamen semper intelligitur Officialis, seu Vicarius Generalis Episcopi, quia hi duo termini ibidem significant, & sunt synonimi *arg. Clem. 2.* & ibi Gloss. *v. Officialis de Rescript.*

297 Hinc Officialis Capituli, vel alius Officialis, qui non est Vicarius Generalis Episcopi, talem Bullam cum inscriptione *Officiali &c.* exequi non potest; quòd si exequeretur, Dispensatio, & inde sequens Matrimonium forent nulla, uti decisum refert Corrad. *cit. lib. 7. cap. 4. n. 13.*

298 Cæterum licèt par ratio sit, sive committatur executio Episcopo, sive Vicario Generali seu Officiali, tamen si uni v. g. Vicario Generali committitur, non potest alter v. g. Episcopus exequi. Sperell. *Decis. 97. n. 107. & 110.* Decius *in c. Quoniam de Off. Delegat.* & ibi Abb. *nu. 15.* Ratio est; quia Dispensatio seu potestas dispensandi specialiter delegata, est strictæ interpretationis per sæpè dicta, potest tamen Episcopus Executor deputatus subdelegare Vicarium Generalem, vel alterum saltem ad capiendas informationes, sicut etiam Vicarius Executor deputatus potest delegare alterum. Ratio est; quia Delegatus Principis potest subdelegare alterum ad capiendas dictas informationes, non item ad dispensandum, vel absolvendum, prout magis infrà *n. 353.*

299 Resp. II. Executor quicumque deputetur, nullam habet jurisdictionem, nec potest litteras exequi, consequenter neque dare Oratoribus potestatem contrahendi; antequam litteræ Apostolicæ in Originali præsentetur eidem; etsi aliunde jam sciat, illas fuisse concessas. Justis *de Dispensat. lib. 1. cap 6. n. 2.* Sperell. *Decis. 85. n. 31.* Garcias *de Benef. p. 6. cap. 2. n. 8. arg. c. super eo.* Tusch. *Litt. I, conclus. 435. n. 1.* & alii communiter *arg. c. super eo. 12. de Appellat. ibi: tunc incipit currere, cùm Judices contigerit litteras recepisse:* junct. *c. Pastoralis. 14. de Rescript.*

300 Hinc nullum est Matrimonium, quod Oratores contrahunt ex eo, quia sciunt Litteras Dispensationis Romæ jam esse expeditas, vel eas jam existere in suis manibus, etiamsi à Deputato Executore ad id licentiam haberent; nisi priùs dicto Executori præsententur, & ab eo videantur; prout ex declaratione Cardinalium benè observat Corrad. *Lib. 8. cap. 1. n. 44* Justis *loc. cit. nu. 12.* Imo in tali casu egent nulliter contrahentes novis Dispensationis litteris Romæ obtinendis vigore citatæ Declarationis Cardinalium, & Concil. Tridentin. *Sess. 22. de Reform. cap. 5.* ubi Dispensationes etiam in forma gratiosa carere dicuntur effectu, nisi priùs ab Ordinario cognoscantur.

Pariter etiam novis litteris Apostolicis indigent, 301
si obtentis, sed executioni nondum mandatis litteris Apostolicis Oratores non contrahunt quidem, sed tamen carnaliter invicem se cognoscunt, prout ex simili Declaratione Cardinalium observat Corrad. *loc. cit.*

Resp. III. Præsentatis sibi litteris in Originali, 301
debet executor ante omnia diligenter considerare, & videre, an sint conformes consueto stylo Curiæ, & an solitas, vel insolitas habeant clausulas. Si enim litteræ stylo Curiæ non sunt conformes, aut insolitas continent clausulas, suspectæ sunt de fraude & dolo, consequenter executioni mandari non debent. Barb. *lib. 2. Vot. canon. voto 17. n. 151.* Justis *lib. 1. cap. 6. n. 13.* Gonzalez *ad Regul. Cancell. 8. Gloss. 46. nu. 86.* Menoch. *de Præsumpt. lib. 5. præsumpt. 3. n. 103.* textu expresso *c. quàm gravi. 6. de crimine Falsi* ubi tanquam falsæ rejiciuntur litteræ ex eo, quòd in eis contra stylum Episcopus vocetur *Filius*, & inferior Frater: additur ad finem: *propter quod sic litteras Apostolicas studeas intueri tam in Bulla*, (Id est, sigillo & plumbo pendente) *filo & charta, quàm in stylo, quòd veras pro falsis, & falsas pro veris non admittas.* Si verò juxta stylum solitum, solitoque plumbo, & cordulis munitæ existunt, poterit servatis servandis, præcipuè illis, quæ in Bulla præscripta sunt, ad executionem procedere. Justis *loc. cit. n. 14.* Paris. *de Resignat. lib. 8. q. 2. n. 18. arg. cit. c. quàm gravi.*

Quæritur III. Quisnam sit stylus litterarum 302
Apostolicarum pro Dispensatione Matrimoniali? Et quas clausulas in eis potissimùm observare debeat Executor? Resp. I. stylum pro foro externo esse illum, quem exhibent formulæ *à n. 92.* adductæ; qui cum clausulis ibidem contentis observari debet. Ut autem compendiosa habeatur de illis notitia, præfatarum formularum stylus una cum clausulis earum breviter hîc discutitur.

Primò: Ponitur Nomen Pontificis taliter: v. 303
g. *Episcopus servus servorum Dei*: quod semper observatur, quando litteræ expediuntur per Datariam vel Cancellariam: quando verò expediuntur per modum Brevis in Secretaria Apostolica super gradibus propinquioribus juxta dicta *n. 232.* breviùs proponitur Titulus taliter *Urbanus Papa VIII.* Justis *lib. 1. cap. 6. n. 47.* citans Mandos. Regul. *22. q. 11. n. 1.*

Secundò: ponitur Nomen Delegati: Et quidem 304
Vicario Generali, qui ultra montes non est, sic inscribitur: *dilecto filio Vicario Generali Venerabilis Fratris nostri Archiepiscopi Neapolitani in spiritualibus Generali*: si verò ultra montes existit, fit taliter: *Dilecto filio Officiali Frisingensi*: ubi nota, quòd Papa omnes Christianos tam Clericos, quàm Laicos (*exceptis Episcopis*) vocet filios. Justis *loc. cit. cap. 6. nu. 75. arg. c. quàm gravi. 6. de crimine falsi*; hac tamen cum distinctione, quòd, si ad fœminas Rescriptum est, addat: *dilectæ nobis in Christo filiæ. c. Dilecta. 14. de Excess. Prælat.* Episcopos verò vocat *Fratres*, quasi sibi æquales, *cit. c. quàm gravi. 6. de Crimine Falsi*; quia ipsi quoque sunt successores Apostolorum, *can. In novo. 2. dist. 21.* ibi: *ipsis decedentibus in locum eorum successerunt Episcopi.*

Exprimitur autem specialiter Diœcesis per illa 305
verba v. g. Vicario Archiepiscopi *Neapolitani*, vel Officiali *Frisingensi*, per quam Papa semper intelligit Diœcesin Oratorum; unde si circa hoc error est, litteræ executioni mandari non possunt juxta dicta *n. 213.*

Tertiò: sequitur salutatio consueta, videlicet, 306
salutem & Apostolicam benedictionem.

Quartò:

307 Quartò: sequitur nomen & cognomen Oratorum cum expressione Diœcesis, in qua sunt, quod necessarium est juxta dicta *n.* 203.

308 Quòd si ob Angustiam loci petitur Dispensatio, additur etiam locus Oratorum juxta dicta *suprà*. Regulariter autem intelligitur & attenditur locus Originis, non domicilii, etsi quis longissimo tempore in tali loco existeret. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *à nu.* 127. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 5. *à nu.* 30. Hinc, si error sit circa nomen talis loci, Dispensatio est subreptitia, juxta dicta *n.* 214. cùm sit error circa causam finalem seu motivam, DD. citati. Cæterùm in aliis Dispensationibus non apponitur locus Oratorum, sed tantùm Diœcesis.

309 Quintò: ponit & narrat Papa preces Oratorum una cum impedimento & causa dispensandi, prout ab Oratoribus fuêre propositæ, idque sequenti modo (quo etiam nomina & Diœcesin Oratorum exprimit) referre incipit: *oblato nobis nuper pro parte dilecti Filii Francisci N. Laici, & Claræ N. Mulieris Neapolitanæ Diœcesis Oratorum, petitionis series continebat quòd &c.* adducit dein Oratorum verba formalia, quibus causam dispensandi, impedimentum obstans, desiderium nubendi, & petitionem Dispensationis exprimebant.

310 Sextò: absolvit Oratores à censuris, & aliis pœnis Ecclesiasticis in ordine ad consequendum Dispensationis effectum; quia casu, quo irretiti essent excommunicatione v. g. gratiæ non essent capaces; cùm gratia per excommunicatum obtenta non valeat *c.* 1. *de Rescript. in* 6. solet autem præfata absolutio fieri sequentibus verbis: *Nos igitur eosdem Franciscum & Claram, & eorum quemlibet à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, & pœnis à Jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum duntaxat præsentium consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, &c.*

311 Notandum verò, quòd, etsi valdè generalis & favorabilis sit hæc absolutio, tamen nullatenùs suffragetur *non parentibus rei judicatæ, Incendiariis, Violatoribus Ecclesiarum, falsificari procurantibus litteras, & supplicationes Apostolicas, & illis utentibus, receptatoribus, & fautoribus eorum, ac res vetitas ad Infideles deferentibus, Violatoribus Ecclesiasticæ libertatis, vel facti ausu temerario Apostolicis mandatis non obtemperantibus, & Nuncios, vel Executores Apostolicæ Sedis, & ejus Officialium, ejus commissa exequentes impedientibus, qui propter præmissa, vel aliquod eorum excommunicati à Jure, vel ab homine per quatuor menses scienter excommunicationis sententiam hujusmodi sustinuerint. Et generaliter quibuscunque aliis, qui censuris aliquibus etiam aliàs, quàm ut præfertur, quomodolibet ligati in illis per annum continuum inforduerint.* Ita expressè disponit 66. *Regula Cancellariæ*, quam una cum aliis habes *Lib. III. Tit. V. §. XVI.*

312 Notandum ulteriùs, quòd supra dicta absolutio præcisè serviat ad consequendum Dispensationis effectum, & ad nullum alium. Hinc ante & post illam subjacet dispensatus iisdem censuris, & pœnis, effectibusque illarum quo ad alia Barbos. *de clausul. clauf.* 179. *nu.* 6. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 211. & alii communiter, patetque ex ipso tenore absolutionis, ibi: *ad effectum duntaxat præsentium consequendum.*

313 Septimò: se facti notitiâ carere asserens Papa committit Discretioni Executoris Delegati negotium, eique mandat, servatis & observatis certis clausulis ibidem expressis dispensat cum Oratoribus. De quibus clausulis subsequenter. Pergit itaque post absolutionem factam.

314 *Ac certam de præmissis notitiam non habentes Discretioni tuæ, de qua in his specialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus &c.*

315 Ubi per clausulam *Discretioni tuæ* non intelligitur liberum, sed prudentiale, & regulatum judicium, quo & juxta præscripta procedere, & simul attendere debet, an non ex Dispensatione scandala, vel alia gravia mala oriantur; in tali enim casu dispensationem denegare deberet, exigente id discretione, *quæ est mater omnium virtutum, Clem.* 2. *de sent. & re judicat. & can. Præsentium, cau.* 1. *q.* 5. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. *n.* 1. Si Episcopo ipsi committitur executio, loco verborum *discretioni tuæ*, utitur Papa verbis *Fraternitati tuæ.*

316 *Mandamus* hæc clausula importat verum præceptum dispensandi, & observandi clausulas sequentes, ac non nisi eisdem observatis & verificatis dispensandi, videlicet.

317 *Quatenùs deposita per te omni spe cujuscunque muneris, aut præmii, etiam spontè oblati, à quo te omninò abstinere monemus &c.* quæ verba, licet consilium importare videantur, ob terminum *monemus*, tamen ex antecedentibus, & subsequentibus, apertè constat, illis innui grave, & quidem sub mortali obligans præceptum; eò quòd cujusvis muneris receptio sub excommunicatione latæ sententiæ (quæ non nisi ob peccatum mortale infligitur) subsequenter in quibusvis hujusmodi Dispensationis litteris Apostolicis expressè prohibeatur illis verbis. *Volumus autem, quòd, si spreta monitione nostra hujusmodi, aliquid muneris, aut præmii occasione præmissorum exigere, aut oblatum recipere temerè præsumpseris, excommunicationis latæ sententiæ pœnam incurras.* Quæ verba etiam de esculentis & poculentis, quæ paucis diebus consumi possunt, intelligenda sunt. Corrad. *lib.* 7. *cap.* 6. *nu.* 15. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 241. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 35. *num.* 12. Ratio est; Tum quia prohibitio Papæ est universalissima, ibi: *Cujuscunque & si aliquid*, quibus verbis omnia comprehendatur *arg. l. quacunque ratione ff. de Procurat.* etiam modica, ut benè advertit Barb. *de Axiom. Axiom.* 151. *nu.* 70. Tum *quia verba generalia generaliter sunt intelligenda c. quia circa de privileg.* Nec datur in hoc interpretatio, cùm verba sint clara; in claris enim non admittitur interpretatio *arg. l. Ille, aut ille*, 25. *ff. de Legat.* 3. *cùm in verbis nulla ambiguitas est, non debet admitti voluntatis quæstio.*

318 Neque aliquid in contrarium evincit *c. statutum §. insuper. de Rescript. in* 6. ubi sub prohibitione receptionis munerum, esculenta & poculenta exceptà dicuntur; quia ibi est sermo de Delegato ad lites, cujus commissio, cùm ordinariè diu duret, & magni existat laboris, stipendio aliquo digna videtur: quæ ratio non militat in casu, eò quòd sit brevissimi laboris.

319 Hinc neque sub prætextu laboris in stupendo processu, examinandis testibus, capienda informatione &c. neque ratione sigilli, papyri, expeditionis, aut taxæ Delegatus aliquid accipere potest, prout expressè declaravit S. Congregatio apud Corrad. *cit. lib.* 7. *cap.* 6. *nu.* 14. Justis *loc. cit. nu.* 143. Dian. *p.* 5. *Tract.* 13. *Resolut.* 71. Et meritò, cùm labor juxta dicta sit modicus, & si in loco distanti informatio esset capienda, possit executor eam delegare aliis, qui eidem parere tenentur. Justis *loc. cit. n.* 144.

320 Nec aliquid in contrarium valet consuetudo alicubi vigens; licèt enim hæc legitimè introducta deroget legi *c. fin. de consuet.* non tamen quidquam valet contra Superioris præceptum recenter positum (aliàs enim subditus consuetudine posset præ-

scribere

scribere contra obedientiam Superiori præstandam, quod omnes negant *arg. c. Cùm non liceat.* 12. *de Præscript.*) consequenter cùm in quibusvis Dispensationis matrimonialis litteris Papa de novo, & expressè præcipiat, he quidquam accipiatur, penitùs nil valet contra hoc præceptum consuetudo etiam immemorabilis.

321 Notandum tamen, licitum esse Notario aliquid pro examinandis testibus, & aliis informationibus accipere, quartam nempe partem aurei; prout expressè habet S. Congregationis declaratio apud Corrad. illis verbis: *Gratis adeò dispensationes matrimoniales concedendæ sunt, quòd etiam Ordinarii, quibus istæ dispensationes committuntur, suum Officium gratis præstent, ita ut nec ipse Vicarius aliquid suscipiat pro mercede; Notarius verò pro examinandis testibus, & sumendo cæteras informationes quartam partem aurei, seu ducati accipere possit.* Ratio est; quia præceptum litteris Dispensationis insertum, solum Executorem, non item Notarium, vel alios afficit: ob quam rationem putamus, Notarium, & alios expeditionis Officiales etiam plus, quàm quartam partem aurei accipere posse, si major taxa rationabili consuetudine introducta est; dummodò de hoc nil participet Vicarius Generalis, vel alius Executor; quia huic, non autem illis semper obstat recens præceptum superioris.

322 Hæc autem intellige ante factam dispensationem; quia postquam Dispensatio executioni jam demandata est, etiam Executor aliquid gratis oblatum accipere, (minimè verò aliquid prætendere) potest. Sanchez *lib.* 8. *Disp.* 35. *nu.* 14. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *nu.* 245. & alii; eò quòd tunc jam cesset ratio prohibitionis, quæ est, ne Judex muneribus excæcatus inique dispenset.

323 *Te de præmissis diligenter informes, &, si preces veritate niti repereris, tunc & dispenses.* Hæc clausula conditionem importat, & est de forma, adeò ut invalidè dispenset Executor, si prùs se non informet, & reperiat, vel cognoscat preces veritate niti, etsi à parte rei preces veritate omninò nitantur. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 34. *nu.* 26. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *à n.* 246. Gutierrez *can. qq. lib.* 2. *cap.* 15. *n.* 112. Garcias *de Benef. p.* 6. *cap.* 2. *n.* 265. Filliuc *Tom.* 1. *Tract.* 10. *p.* 2. *cap.* 10. *n.* 354. cum communi, & sæpiùs decidit Rota. Ratio est; quia non servatâ conditione & forma præscripta semper corruit, & nullus est actus. *arg. c. cùm dilecta.* 22. *de Rescript.* & amphùs dictum est *Lib. I. Tit. III. de Rescript.* §. *VII à n.* 144.

324 Dices: clausula, *si preces veritate nitantur*, cuivis dispensationi tacitè inest de Jure, etsi non exprimatur *c.* 2. *de Rescript.* ibi: *in Ejusdem litteris intelligenda est hæc clausula, si preces veritate nitantur, etsi non apponatur*; atqui expressio illius, quod de Jure tacitè inest, nec formam, nec conditionem importat, ut latè probat Sanchez *lib.* 3. *disp.* 33. *num.* 3. ergo. Resp. concesso antecedenti, negando suopositum vel potiùs paritatem inter clausulam, *si ita est*, vel *si preces veritate nitantur*; & inter clausulam *si preces veritate niti repereris*; quia prior quidem, sed non posterior inest de Jure. Unde conceditur, subsistere executionem habentem tacitè vel expressè hanc solummodò clausulam, *si res ita est*, vel *si preces veritate nitantur*, dummodò res à parte rei ita se habeat, etsi illud Executor ignoret, vel non cognoverit, vel non satis sciat; negatur tamen, ita pariter procedere, quando adest clausula, *si preces veritate niti repereris*: quia hæc expressè importat conditionem cognitionis præviæ. Ubi autem requiritur prævia cognitio, non sufficit rem ita se habere, ut asseritur, nisi etiam cognoscatur. *arg. l. Eum, qui duobus.* 51. §. 1. *ff. de Acquir. hæredit.*

Pro verificatione tamen precum non requiritur informatio, & cognitio Judicialis, sed sufficit extrajudicialis, sine ordine, & forma judicii, & per testes non juratos habita. Sanchez *lib.* 8. *disp.* 35. *num.* 15. Mascard. *de Probat. conclus.* 1362. *num.* 16. Justis *lib.* 1. *cap.* 6. *num.* 262. Gonzalez *ad Regul.* 8. *Cancell.* §. 19. & 20. cum communi; *arg. Concil. Trident. Sess.* 22. *de Reform cap.* 5. ibi: *summariè tantùm, & extrajudicialiter.* Ratio est; quia prævia cognitio, & informatio de veritate precum committitur conscientiæ & prudentiæ Executoris, ut liquet ex appositis verbis; *Super quo conscientiam tuam oneramus*; quoties autem aliquid conscientiæ, & prudentiali judicio alicujus committitur, judicialis cognitio non est necessaria. Justis *loc. cit. num* 308. Sperell. *Decis.* 109. *num.* 48. & alii post Gloss. *in c. statutum* 11. ¶. *Relinquatur. de Rescript. in* 6. Debet tamen attendere Delegatus, ne soli Oratorum asserto credat, sed accipiat testes fide dignos, & saltem ita se informet, ut prudenter credere possit, rem ita se habere. Justis *loc. cit. num.* 263. & 268. quia id ad minimum requirere videtur clausula *Diligenter te informes.*

326 Pro capienda necessaria informatione potest Executor ex Officio alios subdelegare, & illos ad id per censuras adigere *c. Pastoralis de Officio delegat.* potest insuper testes quoslibet citare, & censuris compellere juxta communem. Ratio est; quia Delegatus in causa delegata gerit vices Papæ: estque omnibus superior, & concessa sibi jurisdictione censentur ei cum illa etiam concessa omnia ea, sine quibus illam cum effectu exercere non potest. *arg. c. Præterea de Off. delegat.*

327 Porrò etsi juxta dicta sufficiat extrajudicialis cognitio, tamen, si aliquis adesset contradictor, deberet citari pars, & acta in scriptis redigi. Garcias *cit. p.* 6. *cap.* 2. *n.* 247. Justis *loc. cit. n.* 267.

328 *Si preces veritate niti repereris*: quamvis intelligentis hujus clausulæ à potiori jam pateat ex dictis *à n.* 322. tamen circa eam adhuc examinandum videtur, de quibusnam Executor necessariò se informare, & cognoscere debeat, quòd preces veritate nitantur. Ad quod respondetur, Executorem non de omnium, sed tantùm de illorum veritate necessariò se informare, & cognoscere debere, quorum falsa vel erronea expressio vitiat, & annullat Rescriptum, quænam autem sint illa, abundè habes suprà §. *V.* ubi in specie dictum, falsitatem, vel errorem circa nomen vel Diœcesin Oratorum, item errorem circa causam finalem seu motivam, item errorem circa impedimentum vel gradum vitiare Rescriptum. Ibidem etiam *à n.* 217. habes, quo tempore verificari debeant causæ.

329 Cæterùm qualiter verificari debeant, & satis verificatæ censeantur, vide de quavis causa suprà §. III. & etiam dicta *nu.* 324. quibus adde, quòd subinde pro concausa etiam allegetur qualitas Oratorum *v. g. Quòd ipsi nobiles, vel de nobili genere procreati, vel illustres, aut de illustri familia existant.* Circa quas clausulas notandum, quòd, si apponantur una cum causa illa generali: *ex certis & rationabilibus causis*, non sit necesse, ut de illis se informet Executor, vel ut verificentur, sed potest exequi litteras, etsi sciat, illam esse falsam juxta dicta *suprà.* Ratio est; quia tunc non allegata nobilitas, sed major taxa est causa finalis. Justis, Corrad. & Sanch. ubi infra *n. seqq.*

330 Si verò una cum alia causa apponitur, tunc videndum est, an apponatur tanquam causa finalis ad evitandam clausulam *etsi extra*, vel ad obtinendam dispensationem in propinquiori gradu, in quo ob allegatam causam aliàs cum ignobilibus non dispensaretur, tunc